



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum  
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

**Kolb, Gregor**

**Rottwilae, 1725**

**VD18 12054054**

XCIV. Otto. LXVIII. Arch. XXIII. Eeector [i.e. Elector].

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

quarum alterâ Nassovium Comitem Molsbergo molestum repres-  
sit, alterâ verò Wefaliam rebellem subegit, novo pyrii pulveris  
& bompardarum usu victor. Deinde auxilio fuit Friderico Co-  
loniensium Electori contra Engelbertum Marckanum Comitem,  
quem mox alii vel secuti, vel æmulati Wenero bellandi campum  
aperuerunt. Anno ab hoc altero, nimirum 1400. Wenero & E-  
lectoribus reliquis consilium ineundum fuit de Wenceslao ignavo  
Imperatore exauthorando, quòd tum Hussitarum hæresis in Bo-  
hemia maximè eiusdem indulgentiâ cresceret, tum etiam causæ  
plurimæ insignem Imperatorem desiderarent. Electi proinde in  
Imperatores Fridericus Dux Brunsvicensis, & hoc mox sublato  
Jodocus Moraviæ Marchio: hoc item brevi defuncto Ruper-  
tus Palatinus placuit. Ruperto in Italiam profecto, & inde Tre-  
viros reverso, Wernerus interea instauratum ab incendiis Wit-  
lichium egregii operis castro communire cœpit, atque infra Con-  
fluentiam Wenersecum arcem erexit. Tandem licet senio con-  
fectus, Theodorico tamen Coloniae Archiepiscopo adversus cives  
suos cum copiis subvenit; at inde brevi in arce Burenbergica  
morbo extinctus est an. 1418. Sed. an. 30.

## S E C U L U M X V .

XCIV. OTTO. LXVIII. ARCH.

XXIII. EEECTOR.

**O**tto è Ziegenhemiorum Comitum stirpe progenitus, &  
munere Præpositi in æde Trevirorum princeps ita est fun-  
ctus, ut Canonicorum omnium calculis electus, testibus  
lacrymis tantam dignitatem seriò deprecatus fuerit, non nisi mul-  
torum precibus, & vi amica in Trevirensium Sedem elatus. Post  
sedatos continuo Coloniae motus, Treviros reversus ad deprava-  
tos multorum mores castigandos animum appulit, ipse exemplo

ri-



rigidæ castigatæque vitæ amator prævius. Mox inde Martini V. Rom. Pontificis, à quo Pallium accepit, hortatu arma in Hussitas unà cum sociis Principibus convertit, eventu minùs secundo. Inter publicos tumultus Hierosolymam adeundi sacra voluptate captus, abiit, rediitque Clericorum mores multis consiliis & violentis remediis curaturus. Verùm cùm votis non responderet eventus, animo magis quàm corpore cœpit laborare, & animam suam modis & mediis optimis curare, mortem præveniendam ratus. Confluentiâ Treviros funus perlatum, ad aram Magnæ Virginis est depositum hoc cum elogio: *Humilitatis exemplar, Ecclesiasticæ reformationis zelator, Iustitiæ, Veritatis & Pacis plantator, Eleemosinarum largus Dator, requiescat.* Ottone vivis erepto Udalricus de Manderscheid, & Jacobus Sirkius primæ notæ Canonici à pugnantibus partibus delecti, dum causam dubiam egerunt Romæ, Pontifex Martinus V. utroque vivere ac valere iussit, Spirenses Episcopum multis modis celebratum, Archipræsulem Trevirorum simul constituit & confirmavit, qui fuit

XCV. RABANVS. LXIX. ARCH.

XXIV. ELECTOR.

**R**abanus cognomento Helmstadius, quem tamen Eugeni IV. Martini Successor contra Udalricum Manderscheidium pertinaciter suo in proposito persistentem denovo confirmatum propugnaret, pars tamen Clericorum & Nobilium in dies major, Udalrico majori studio partim favere cœpit, partim favere non destitit, in subsidium vocatis si non magicis, saltem obscuris artibus; quibus tamen profecere parùm, aut nihil. Rabanus ergo ringentibus hostibus in Sede communitus, post breve temporis intervallum à Comite Virneburgico armis petitur. Ut pacem quovis auro pretiosorem daret, & datam conservaret, oppignorationem Schönecei, Schöneburgi, Dunæ, Kempenichii, & Hamersteinii pro 4500. aureorum summa admisit; unde

R

rursus